



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsque ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 7. Per quam confeßionem impleatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

His positis duplex in hac quaestione difficultas esse potest. Prima quando aliquis non potest nisi per interpretem confiteri, tunc excusetur, etiam si nullum aliud damnatum timeat. Prima sententia distinguit de præcepto Ecclesiastico, vel diuino, & affirmat excusare hanc causam ab obligatione præcepti Ecclesiastici, non vero diuini. Ita tenet Syluester, *Confessio*, primo, num. 15, qui refert Archidiaconum, & alios, & idem sequitur Caño. Quorum ratio pro secunda parte esse videtur, quia tunc non interuenit difficultas, vel damnatum sufficiens ad excusandum: quia cum interpret teneatur eadem lege præcepti, qua sacerdos, & non timeatur reuelatio, non videtur graue damnatum quod duo audiant idem peccatum: nam, quod aliqui dicunt, inde fieri peccatum publicum, & iuridice probabile duorum testimonio, nihil ad rem spectat, quia restim omnium eius, qui peccatum in confessione audiuit, nullum omnino est. Et confirmatur: nam saepe necesse est duobus peccatum reuelare vel propter casuum reseruacionem, vel concilij petendi causa, vel auxiliij: ergo & propter ipsum sacramentum suscipiendum.

Secunda sententia, & communis est, in eo casu posse hominem confiteri, si velit, excusari tamen simpliciter ab obligatione cuiuscunque præcepti confessionis, etiam in mortis articulo. Ita sentit Caietan. verb. *Confessio*, condit. 11. Soto d. 18. quæst. 2. articl. 6. Ledesm. 2. p. 4. quæst. 8. articl. 3. Victor. nu. 173. Petr. Soto lect. 5. de confessione, Medina quæst. 39. de modo secretae confitendi, Maior d. 17. & ibid. Palud. Fundamentum esse potest, quia iure diuino nullus obligatur ad publicam confessionem, ut colligitur ex Trid. sess. 14. cap. 5. publica autem confessio distinguitur à secreta, seu auriculari quæ soli sacerdoti fit: ergo quæ fit per interpretem, publica censetur in hoc foro.

In hac re censeo primum, non obligare præceptum Ecclesiasticum ad confitendum hoc modo: tum propter rationem factam: tum etiam, quia præcepta Ecclesiastica non obligant cum tanto onere: tum etiam, quia in ipso capit. *Omnis fidelis teneatur solus confiteri sua peccata proprio sacerdoti*: illa enim particula, *solus*, hoc satis indicat. Secundo certum existimo neminem teneri ad confessionem hoc modo faciendam iure diuino extra mortis articulum. Patet ex fundamento secunda sententia. Item ex his, quæ supra diximus, scilicet, præceptum diuinum per se non obligare extra hunc articulum: sed et si alias obligare posset, idem dicendum esset: quia, cum hoc præceptum affirmatiuum sit, non obligat pro semper, sed temporibus opportunis: moraliter autem, & prudenter non censetur oportunum tempus, quando homo non potest ordinarie, & sub secreto confiteri, & alias non uiget extrema necessitas.

Tertio, in articulo mortis videtur mihi prima sententia valde probabilis, & speculatiue verior, qui autem uoluerit secundam sequi, potest id facere tuto, quia est practice probabilis, quantum est ex vi præcepti confessionis: quod ideo addo, quia ex obligatione penitentia: ut sic, seu satisfaciendi Deo, & ex obligatione charitatis, & curandi salutem propriam, poterit quis tunc obligari ad confessionem hoc modo faciendam. In quo hæc regula seruanda est, si homo habeat probabilem existimationem de sua vera contritione, excusari poterit ab obligatione confitendi hoc modo, quia non videtur moraliter necessaria ad salutem, si autem probabiliter timeret, vel dubius esset de contritione sua, tunc teneretur confiteri etiam hoc modo, vel etiam publice: quia cum absolute teneatur Deo satisfacere, merito in casu dubio obligatur, ut alio modo iustificetur, Deoq; satisfaciatur. Item ne se exponeret periculo æternæ damnationis, quæ præ omnibus aliis

incommodis vitanda est. Posset autem in huiusmodi casu penitens confiteri ea peccata, quæ cum minori infamia explicare posset, nec teneretur ad confessionem materialiter integram: est enim hæc causa sufficiens ad excusandum illum, & ita hoc factum esset ad recipiendum hoc sacramentum, & consequenter ad subueniendum salutis suæ, posset enim tunc fieri ex attritu contritus.

Secunda difficultas est, si quis non possit nisi per scriptum confiteri, ut quia vel ipse mutus est, vel confessor surdus, & non potest se aliis notibus explicare, an sit hæc sufficiens causa ad excusandum: multi enim sentiunt in eo casu excusari hominem à præcepto confessionis. Ita sentit Richar. distinctio. 17. artic. 2. quæst. 5. Nauarrus capit. 21. numero 36. Victoria numero 137. Medina Soto, & Ledesma locis supra citatis. Fundamentum est, quia scriptura est publicum instrumentum, & qui scribit peccata, exponit se periculo amittendi scriptum, vel ut confessor illud accipiat de manibus eius, & in publicum ferat, non autem tenetur publice confiteri, nec huic periculo se exponere. Sed hæc sententia non videtur mihi solida ratione fundata, quia reuera potest facile fieri, ut nullum sit morale periculum, nec scriptum magis est publicum instrumentum, quam vox, præsertim si cautio adhibeatur.

Vnde contraria sententia mihi videtur probabilior, non solum de præcepto diuino, sed etiam Ecclesiastico. Eam tenet Syluester, *Confessio*, primo, quæst. 15. qui refert alios, præsertim D. Thomam, qui hoc insinuat dist. 17. quæst. 3. articl. 4. quæst. 1. ad secundum, & ibi Paludan, quæst. 2. Maior, quæst. 1. ad 3. Caietan. verb. *Confessio*, condit. 11. Petr. Soto lect. 11. de Confess. Fundamentum est: quia præceptum confessionis obligat quando commode, & sine damno aliquo impleri potest, sed quod homo per scriptum confiteatur, nullum est incommodum, neque vitium damnum affert: nam si aliquod, maxime publicam manifestationem peccati, sed hoc nec semper, nec frequentius sequitur, & facile cauere potest omne morale periculum ne sequatur. Et primo Caietan. adhibet modum, quia potest penitens in vna charta scribere omnes species peccatorum, & in alia varios numeros, & postea in confessione signo ostendere peccatum, & numerum. Petrus Soto adhibet alium, ut non antea scribat, sed coram sacerdote, & statim rumpat. Quod enim Dominicus Soto ait, posse sacerdotem rapere chartam de manibus, & publicare, nullius momenti est: nam etiam posset confessionem voce factam manifestare: quod si hoc non est timendum: quia est contra sigillum, neque illud aliud. Denique: quia si homo non subscribat, & literam aliquo modo mittet, nullum est periculum: ergo nulla est hic sufficiens ratio excusationis.

SECTIO VII.

Per quam confessionem præceptum hoc implentur.

Deo possunt in præfata quaestione interrogari: vnum est, an requiratur confessio valida, & per veram absolutionem confirmata in ratione sacramenti: secundum an sit necessaria confessio etiam formata, & habens effectum gratia. Prior pars loquens non habet in eorum sententia, qui negant dari posse hoc sacramentum validum, & informe: tamen iuxta aliam sententiam breuiter tractanda est. Duobus autem modis potest iuxta illam sententiam dari hoc sacramentum validum, & informe, scilicet ex defectu integritatis, & ex defectu doloris. Quando est primo modo, videtur indubitatum per

Antenna-
tur quæ con-
fiteri per in-
terpretem.
Prima sententia
Syluest.

Secunda
sententia.
Caietan.
Soto.
Ledesm.
Victor.
Petr. Soto.
Medin.
Maior.
Palud.

Vera resolu-
tio quæst.

5

E

per talem confessionem non impleri præceptum, quia tunc homo nec exterius facit id, quod præceptum est.

Quando vero est posterioris modi, multi putant sufficere ad implendum hoc præceptum. Ita sentit Alenf. 4. part. quæstione 77. memb. 5. art. 7. Gabriel in 4. d. 17. qu. 1. arti. 3. dub. vlt. Paludan. quæstione 7. Syluest. Confessor, quarto, quæst. 2. in fine. Cano dicta relect. par. 3. in fine. Ledefin. quæstion. 8. articu. 2. Victor. numero 163. Probatur primo, quia Ecclesia tantum potest præcipere actum externum, ille autem homo in eo casu exterius facit quidquid Ecclesia præcipit, tantumquod deest illi actus interior. Secundo, & præcipue ex c. Quod quidam, de Pœnitent. & remiss. vbi dicitur, recipiendam esse confessionem eorum, qui publici peccatores sunt, & vitam emendare nolunt, licet absolui non debeant. Tertio, quia Ecclesia præcipit confessionem, non absolutionem, vnde absolutio est finis, non materia huius præcepti: ergo licet aliquis ita confiteatur, vt absolui non possit nihilominus implet præceptum, dummodo integre confiteatur.

Dicendum tamen cenfeo, hoc præceptum non impleri, nisi per veram susceptionem sacramenti Pœnitentiæ. Ita tenet Durand. dist. 17. quæstione 14. Soto d. 18. qu. 3. ar. 5. Petrus Soto lect. 3. Nauar. c. 10. numero 4. Medin. q. 24. de Confessione ficta iteranda. sub finem. Adrian. q. 5. de Confess. dub. 4. Et sequitur manifeste ex principis supra positus ex Cō. Trid. ses. 14. c. 5. & can. 8. vbi inquit Ecclesia in hoc præcepto non præcepisse confessionem absolute, sed determinasse tempus eius confessionis faciendæ, quæ iure diuino præcepta erat. ergo hoc præceptum non potest per aliam confessionem impleri, quam per illam, per quam impletur præceptum diuinum: ostensum est autem supra præceptum diuinum non impleri, nisi per susceptionem huius sacramenti: ergo. Et confirmatur ex verbis c. Omnis viri usque sexus, vbi dicitur, debere fideles omnia peccata confiteri, & in iunctam sibi pœnitentiã implere, non autem tenentur pœnitentiã implere, nisi quãdo perficitur sacramentum: ergo huiusmodi confessio ibi præcipitur.

Vnde infero non solum illum, qui indigne confitetur, verum etiam qui digne, si de facto non absoluitur ex malitia sacerdotis, vel ex aliquo repentino casu, reuera non implere præceptum, sed teneri eo anno iterum confiteri, quia non suscepit sacramentum. Itã explicuit Soto supra, & merito, quãuis aliqui contradicant, propterea quod in capit. Omnis viri usque sexus, dicitur, ex consilio confessoris posse differri cõmunionem ob rationabilem causam: nam ob similem rationem putant, idem esse dicendum de absolutione. Sed est itã sit, inde non fit, præceptum impleri sine absolutione, sicut non impletur præceptum cõmunionis, quando ex consilio confessoris differtur, sed solum pro tunc non violatur, manet tamen homo obligatus ad sumendam Eucharistiã quamprimum possit: idem ergo est de absolutione, sine qua non perficitur hoc sacramentum, & ideo semper manet obligatio, donec recipiatur.

Ex quo infero secundo, fallum esse, absolutionem esse finem, & non materiam huius præcepti: nã susceptio totius sacramenti, cuius pars est absolutio, est id, quod proxime hac lege præcipitur. Quin potius cenfeo confessionem per se non posse præcipi, nisi quatenus est pars totius sacramenti, cuius vsus præcipitur. Et eodem modo quãuis contritio, vel attritio, quatenus actus quidam interior est, per se præcipi non possit, tamẽ quatenus est veluti forma actus exterioris, præcipi potest, præcepto ipso sacramento, sicut præcipiẽdo vocalem orationem, præcipit Ecclesia interiorem attentionem, quæ est veluti forma talis orationis. Et per hæc expedita sunt

Fr. Suarez, tom. 4.

A fundamenta cõtraria sententiæ, præter illud capit. Quod quidam, ad quod dicendum est, ibi non dici illam confessionem esse admittendam, vt sufficientem ad implendum hoc præceptum, sed hos peccatores esse audiendos, vt possint iuari, & mōneri à suis Parochis. Secundo, fortasse potest deseruire hæc confessio ad vitandas poenas Ecclesiæ, de quo dicemus secl. sequent. Addo, capit. illud, Quod quidam, antiquius esse capite, Omnis viri usque sexus, & ideo non posse ab illo argumentum sumi ad explicandam legem latam in capite, Omnis viri usque sexus.

Circa alterã partem quæstionis propositæ, omiffis aliorum sententiis circa confessionem informẽ, dicendum cenfeo, eo modo, quo in sententia nostra dari potest sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, per illius susceptionem hoc præceptum impleri. Probatur, tum quia præceptum hoc directe ac formaliter solum est de hoc sacramento suscipiendo: tum etiam, quia per talem actum impletur præceptum diuinũ ergo à fortiori Ecclesiasticum. Solum est aduertenda differentia, nos enim supponimus, hoc sacramentum non posse esse validum, & informe, nisi ob dimidiatã confessionem, & attritionẽ ex naturali obliuione. Propter quod diximus supra, impleri quidem præceptum diuinum quoad peccata, ex quibus fit confessio, non vero quoad alia oblita, quæ postea quis tenetur cõfiteri ex vi eiusdem iuris diuini. In præsentem autem dicimus, per talem cõfessionem simpliciter impleri hoc præceptum Ecclesiasticum, ita vt intra annum non amplius obliget, quia licet maneat obligatio confitendi illa peccata oblita, non tamen intra vndem, annum, vt in præcedentibus diximus. Vnde est clara differentia inter hoc præceptum, & diuinum; licet sit illius determinatio: quia diuinum indifferenter cõplectitur totum vitæ tempus, & in discursu vitæ sepius obligat, si per vnã cõfessionem non sufficienter impletur: hoc autem præceptum, vt determinatur ad vnum annum, solum obligat per se ad vnã confessionem, & sufficienter impletur per confessionem formaliter integrã, & tunc maxime, quando per solam naturalem obliuionem aliquid omittitur, & ideo non obligat eodem anno ad peccata oblita cõfitecnda, sed hæc obligatio manet ex iure diuino, & in sequenti anno Ecclesiasticũ præceptum eam etiam complectetur. Neque oportet quoad hoc distinguere inter peccata oblita in confessione informi, vel formata, seu (quod idem est) inter oblita quoad confessionem tantum, vel quoad cõfessionem, & attritionem simul: quia talis distinctio nullo fundamento niti potest: neq; Ecclesiã per se aliquid præcipit circa hoc, quod confessio sit formata, nisi quatenus hoc necessario consequitur ex valore, & efficacia sacramenti.

SECTIO VIII.

Qua poena sit per Ecclesiam imposita ob huius præcepti transgressionem.

E Tractare possumus vel de potestate puniendi hoc delictum, vel de poena iam actu imposita. Circa primum, Durand dist. 17. quæst. 14. probabile existimat, non posse Ecclesiam punire hoc delictum, quia est itã occultum, vt in Ecclesiastico fore probari non possit. Sed est sententia omnino falsa, & à sensu omnium aliorum Doctorum aliena. Distinguenda ergo est duplex poena; altera est alicuius censure, quæ ipso facto absque iudicis condemnatione occurrere potest, & hæc sine dubio imponi potest propter huius præcepti transgressionem, etiam si sit occultissima: nam ad hanc poenam satis est, quod peccatũ sit externum, etiã si per accidens

Opinio quorundam Alenf. Gabr. Palud. Syluest. Cano. Ludov. Viator.

Durand. Sot. Pet. Sot. Nauar. Medin. Adrian. Conc. Trid.

Absolutio non esse finem nisi huius præcepti.

Durandi sententia reicitur. Duplex poena proponitur. Prima.

§§ accidens